



## **Sancti Hieronymi Stridoniensis Operum, Tomi ...**

Continens Commentaria In Matthaevm, Et Epistolas Pavli Ad Galatas, Ad Ephesios, ad Titum & Philemonem, & librum Didymi de spiritu sancto a Hieronymo versum ... Ad Fidem Vetvstissimorum Exemplarivm, Dvcentis Circiter Svblatis Erroribvs Emendata

**Hieronymus, Sophronius Eusebius**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

Divi Hieronymi Ad Pavlinianvm Fratrem In Librvm Didymi De Spiritv Sancto  
Præfatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75102)

# DIDYMI ALEXANDRINI DE SPIRITV SANCTO LIBRI TRES,

ERVDITISSIMI PARITER ET SANCTISSIMI, A D. HIERONYMO LATINIA-  
TATE DONATI: ET A MARIANO VICTORIO REATINO SVBLATIS MANVS SCRIPTO-  
rum Græcorum, Latinorumque Codicum ope, aliquibus mendis, & Sacre scripturæ  
testimonijs margini appositis, restituti.

## DIVI HIERONYMI AD PAVLINIANVM FRATREM IN LIBRVM DIDYMI DE SPIRITV SANCTO P R Æ F A T I O.

**Q**U M in Babylone versarer, & parvitate merce-  
trici essem colonus, & iure Quiritum viverem,  
volui garrere aliqui de Spiritu sancto, & captū  
opusculum, eiusdem vrbis pontifici dedicare: Et  
ecce olla illa, que in Hieremia post baculum cer-  
nitur à facie Aquilonis, cepit ardere: & Phari-  
sæorum conclamavit senatus, & nullus scriba vel  
filius, sed omnis, quasi indicto sibi prælio doctrinaram, aduersum me  
imperitie factio conuulit. Ilico ego velut postliminio Hierosolymam  
sum reuersus, & post Romuli casam, & ludorū lupercalia, diuersorū  
Maria, & Saluatoris speluncam aspexi. Itaque mi Pauliniane frater,  
quia supradictus pontifex Damasus, qui me ad hoc opus primus impu-  
lerat, iam dormit in Christo: tam tuo quàm venerabilium mihi ancil-  
larum Christi, Paulæ & Eustochij nunc adiutus oratu, canticum, quod  
cantare non potui in terra aliena, hic à vobis in Iudæa prouocatus im-

murmuro, angustiorem multo locū existimans, qui Saluatorem mun-  
di, quàm qui fratris genuit parricidam. Et auctorem titulo fatæ: ma-  
luis alieni operis interpres excipere, quàm (vt quidam faciunt) informis  
cornicula alienis me coloribus adornare. Legi dudum cuiusdam libellos  
de Spiritu sancto, & iuxta Comici sententiam, ex Græcis bonis, Latina  
vidi non bona. Nihil ibi dialecticum, nihil virile, atque strictum,  
quod lectorem vel ingratis in assensum trahat: sed totum flaccidum,  
molle, nitidum, atque formosum, & exquisitis hincinde odoribus pig-  
mentatum. Didymus verò meus oculum habens sponsa de Canticis  
canticorum, & illa lumina, que in candentes segetes sublimari Iesus  
præcepit, procul alius intructur, & antiquum nobis morem reddidit, vt  
videns vocetur propheta. Certè qui hunc legerit, Latinorum furta co-  
gnoscat, & contemnet riuulos, cum ceperit haurire de fontibus. Imperi-  
tus sermone est, sed non scientia, apostolicum virum ex ipso sermone ex-  
primens tam sensuum nomine, quàm simplicitate verborum.

## DIDYMI DE SPIRITV SANCTO LIBER PRIMVS, DIVO HIERONYMO INTERPRETE.

**M**NIBVS quidem, quæ diuina sunt, cum  
reuerentia & vehementi cura oportet in-  
tendere, maximè autem his quæ de Spiritu  
sancti diuinitate dicuntur, præsertim  
cum blasphemia in eum sine venia sit: ita  
vt blasphemantis poena tendatur non solum in om-  
ne præsens sæculum, sed etiam in futurum. Ait quip-  
pè Saluator, blasphemanti in Spiritum sanctum nõ  
esse remissionem *neque in isto seculo, neque in futuro.*  
Vnde magis ac magis oportet intèdere, quæ scriptu-  
rarum de eo relatio sit: ne in aliquem saltem per ig-  
norantiam blasphemix error obrepit. Expedierat  
quidè fideli & timido moderanti vires suas, magni-  
tudinem præsentis quæstionis silentio præterire, &  
rem plenam periculo, non in suum discrimen attra-  
here. Verùm quoniam quidã temeritate potius quàm  
recta via etiam in superna eriguntur, & hæc de Spiritu  
sancto iactitant, quæ neq; in scripturis lecta, neq; à  
quoquam Ecclesiasticorum veterum vsurpata sunt,  
compulsi sumus celeberrimæ exhortationi fratrum  
cedere: quæque sit nostra de eo opinio, etiam scri-  
pturarū testimonijs comprobare: ne imperitia tanti  
dogmatis, hi qui contraria opponunt, decipiant eos  
qui sine discussione solliciti, in aduersariorum sen-  
tentiam statim pertrahuntur. Appellati Spiritus  
sancti, & ea quæ monstratur ex ipsa appellatione  
substantia, penitus ab his ignoratur, qui extra Sa-  
cræ scripturæ philosophantur. Solummodo enim  
in nostratis literis, & notio eius, & vocabulum re-  
fertur, tam in nouis, quàm in veteribus. Veteris quippe  
testamenti homo Dauid, particeps eius effectus, ora-  
bat vt in se permaneret, dicens: *Spiritus tuum sanctum  
ne auferas à me.* Et Danieli adhuc puero suscitasse di-  
citur Deus Spiritum sanctum, quasi iam habitantem  
in eo. Nec non etiã in nouo testamento, hi viri, qui

Deo placuisse referuntur, Spiritu sancto pleni sunt.  
Ioannes quippè adhuc in matris utero sanctificatus  
exultat. Et Iesus à mortuis resurgens, cum in sufflasset  
in faciè discipulorū, ait: *Accipite Spiritum sanctum.* Ple-  
na sunt volumina diuinarum scripturarū his sermo-  
nibus, quorum congeriè in præsentis opere digerere  
superfedi: quia difficile non est ex his, quæ assumpsi-  
mus, vnūquemq; lectore sibi similia reperire. Ne-  
mo autè suspicetur alium Spiritum sanctum fuisse in  
sanctis viris ante aduentū Domini, & alium in Apo-  
stolis cæterisq; discipulis, & quasi nomina indifferè-  
tibus esse substantijs. Possumus quidè testimonia de  
diuinis litteris exhibere: quia idè spiritus & in Apo-  
stolis & in Prophetis fuerit. Paulus in epistola, quam  
ad Hebræos scribit, de psalmorū volumine testimo-  
nium proferens, ab Spiritu sancto id dictum esse cõ-  
memorat. Et sicut dicit hic Spiritus sanctus: *Hodie si  
vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra,* &c.  
In fine quoq; Actuum Apostolorū cum Iudæis dis-  
putans, ait: *Sicut Spiritus sanctus locutus est per Esaiam  
Prophetam ad patres nostros, dicens: Auditione audie-  
tis, & non intelligetis.* Neq; enim Paulus alium habes  
spiritum sanctum, hæc de eo scripsit, qui in prophe-  
tis ante aduentum Domini alius fuit: sed de eo cuius  
& ipse particeps fuit, & omnes qui in fide consum-  
mata virtutis ferebantur. Vnde & cum articulo eius  
meminit, quasi solitarium, & vnū esse contestans:  
vbi dicit non simpliciter *πνευμα αγιον*: hoc est, Spiritus  
sanctus: sed cum additamento articuli *το μεωρα αγιον*:  
hoc est, hic Spiritus sanctus. Et Esaiam prophetaffe  
cõmemorat cum articulata voce *Δει το πνευμα αγιον*:  
id est, per hunc Spiritum sanctum, & non simpliciter  
*πνευμα αγιον*. Petrus quoque in eo sermone, quo præ-  
sentibus persuadebat: *Oportuerat, inquit, impleri scri-  
pturam, quam locutus est Spiritus sanctus* (id est *το μεωρα  
αγιον*)

Hier. 1. c

Matt. 12. e

Psal. 150. b

Dan. 13. e

Cant. 4. e  
Ioan. 4. e

H  
Luc. 1. c  
Ioan. 20. f

Hebr. 3. b  
Psal. 95.  
Act. 28. f  
Esai. 6. e

Act. 1. e

HIERONYMUS  
M. 7. 8.